

Dominicus Molinus cum eo ad Calergi conatus inhibendos urbe profecti, aliquot loca insulanis rebellibus ademerunt, eaque subiecto igni incendio consumpsere. Calergini & ipsi suburbanas Castri novi domos, quæ Venetorum colonorum erant, subito aborti comburunt; oppidum ipsum valide defensum, rejectique cum ignominia a Petro Triviano legato Rethimnum hostes invadunt: qui ad praesidium relicti erant, suæ paucitati diffisi, dimissis equis, naves conscedunt, seque Rhetimnum trepide recipiunt. Græci, Venetis colonis non uno loco dejectis, sequuntur suæ victoriæ cursum: nec prius abstitere, quam quicquid terræ est a Thallis ad Spathæ promontorium occidentem versus, præter urbes & quam paucissima oppidula, a Veneto nomine alienaverint. Nova defectio Venetias allata, non mediocrem reparandi belli curam Patribus injecit: quod eo sane molestius fuit, quo major erat per id tempus Cretensium rerum securitas, quam antea fuisset. Princeps Patresque dant negocium iis, qui in insula erant, ut undecunque possent, militem conscriberent: equites, si aliunde nequeant, ex Lycia, Charia, ac ex tota Ionia stipendio accersant. Miserunt & ad Pontificem, a quo facile impetrarunt, ut quisquis in perfidos insulanos arna induisset, is omnium quæ ad eam diem delinquisset, plenam demereret veniam.

Hæc in Italia. In insula vero hostes interim ad radices montium Lasithorum a Nicolao Justiniano vieti, aliquot viris amissis, a suis conatibus sunt aversi. Erat nanque eis animus montana loca occupare: sed ad se tuendum an potius ut eos qui adhuc in fide erant, insperato accessu opprimerent, parum compertum habeo. Multi præterea variique fuerunt Græcorum hyeme illa motus: ad quos inhibendos, nullo aut tempore aut loco diligens legatorum opera defuit. Jacobus Bragadinus, Paulus Lauretanus, Petrus Mocenigus, Laurentius Dandulus, & Andreas Zenus, novi legati in insulam venerunt. Sunt & ii quoque jussi barbarum equitem & pedites, undecunque vellent, conscribere. Acceptis igitur veteribus copiis ab iis qui in